

FRANCISCI PATRICII  
PANCOSMIAS  
LIBER UNDECIMUS  
*DE CIRCULARI CÆLI MOTU.*

Cœlum confessione Astronomorum, et Philosophorum, omnium nationum, ea est mundi tota regio, in qua habitant sydera. Hanc regionem totam in circuitum moveri, iidem omnes, inde usque a sapientiæ initiis, unanimi affirmarunt consensu. Et quoniam ea, circulo moveretur, intulerunt etiam, ipsum esse sphæricum. Quæ nostra fuerat, quæstio proxima, et adhuc est, motui tamen annexa, et ut illi volunt: ab eo pendens. Dixere namque, non posse modo ullo, circuitu circumvolui, nisi rotunda esset figura. Sane hæc argumentatio, si non sunt in ea iocati, satis prodit, eos aut nihil, aut parum admodum, usos esse sensibus. Innumera namque instrumenta ad varios usus ars conficit, quæ in circulum moventur, et non sunt sphærica. Quæ plurimis locis, si quis rei certitudinem optet, observare poterit. Et manibus etiam suis, quidquid angulosum libuerit in gyrum rotare. Quid item prohibet, Pyramidem, cubum, octædrum, dodecædrum, lcosædrum, si axibus figantur circumvolui? Cylindrus nonne rotari potest, nonne conus? Helix certe in gyrum voluitur; voluitur et cochlea, et alia huiusmodi. Et sphærica minime sunt. Quid vero verat innumerabiles, irregulares figuras axibus imponere, et in circuitum movere? Hæc si non adverterunt Astronomi, et Philosophi, quæ ante pedes, quæ in manibus sunt, obtuse sunt philosophati. Quid igitur de rebus, tam longe, tam alte positis credi volunt? Motus igitur in circuitum, nullam infert necessitatem ei corpori quod circumfertur, ut sit sphæricum. Sed et ipsi quando angularem figuram in cœlo fingebant duo quidem, quæ ostendimus impossibilia inducebant, non tamen aliunde, quam ex circulari motu quem supponebant in figura illa angulari. Cognoscunt ergo et ipsi, angulare corpus, moveri posse in circulum. Hoc si cognoscunt, cur nobis fallacias struunt, persuadentes, quod circulo moveatur cœlum, necessario esse rotundum? Apagant igitur est philosophia, tam futilia, tam tibi contradicentia dogmata. Sed clamant iterum, iidem omnes, visu ipso cognosci, evidenti patere experimento, eoque perenni. Quis enim stellas in circulum moveri non cernat? Ubi enim vesperi, vel oriuntur, vel occidunt, sequenti vespere easdem, iisdem locis, et oriri, et occidere conspicimus. Stellas autem omnes cœlo esse infixas, sicuti nodi, tabulis sunt infixi. Nos quidem prius illud negare forte non audebimus. Negare audebimus tamen hoc secundum.

Universa igitur hæc de cœli rotunditate, de cœli circulari motu quæstio huc deducitur, ut cognoscamus, an stellæ sint cœlo infixæ, ut nodi in tabula. (Exemplo enim et dicterio hoc utuntur) an vero liberæ ab omni fixione, per cœlum vagentur, ac suos motus agitent. Rem hanc ad exactum si possimus, perducamus. Quærimus igitur, in præsentia, Principali quæstione, utrum sydera seu stellæ, quas in cœlo habitare diximus, cœlo hæreant infixæ, ut nodi sunt fixi tabulis. Profecto, locus est in sacris Bibliis in quo apparet, rem omnino, secus sese habere. Scriptum enim est apud Salomonem, in hæc verba.

“Oritur Sol, et occidit, et ad locum suum revertitur: ibique tenascensgyrat, per meridiem, et flectitur ad aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit Spiritus, et in circulos suos revertitur.”

Liberum hic locus facit Solem, et nulli tabulæ fixum. Quem et spiritum ideo vocat, quia spiritus, siue ignis sit, siue ær, sue ventus, sive qui in animantibus est, liber est omnino; et natura sua, neque infixus ulli rei est, neque infigi potest. Huic loco, quedam Zoroastri oracula contrarium dicere videntur.

Πῆξε δὲ πολὺν ὄμιλον ἀστέρων ἀπλανῶν.

“Compegit vero multum cœlum astrorum inerrantium.”

Sed verbum hoc πηγνυμαι, πηγνύω, πήγνυμι, non tam figere, quam componere, concrecere, coagmentare, congelare, et condensare, et alia istiusmodi significat. Qualem